



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Controversiae Ecclesiastico-Historicae**

**Casteel, Gerard**

**Coloniae Agrippinae, 1734**

**VD18 10739254**

Controversia XXIX. De Liberio Papa.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68244](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68244)

# CONTROVERSIA XXIX.

D E

## *Liberio Papa.*

**J**ulio I. circa annum Christi 351. in Cathedra Romana sedente, Episcopi Arianae factionis in id unice incumbebant, quomodo invictissimum Athleram S. Athanasium Episcopum Alexandrinum toto orbe Christiano proscriberent. Hunc in finem ad praefatum Ponticem Maximum epistolam miserunt, in qua majorem in modum postulabant, ut secum communicaret, & Athanasium condemnaret. Priusquam verò responsum tulissent, Julius è vita excesserat, atque in ejus locum Liberius invitus successerat. Non destiterunt persecutores impij, hunc solemem virum pariter scriptis interpellare, quatenus Athanasium à Communione fidelium divelleret. Hic verò cum unioni & commissæ sibi Ecclesiae tranquillitati summoperè studeret, ut ejus epistola ad Orientales, quæ est octava inter fragmenta S. Hilarii Arelatensis Episcopi, testari poterit, misit tres selectos presbyteros, scilicet Lucam, Paulum & Ælianum ad Athanasium; atque per eosdem, litteris etiam illi inscriptis, Romam citat, ut compareat in praesenti; idque, quod Ecclesiastica disciplina convenienter exegerit, in eum statuatur. Reversi autem illi nominati pres-

byteri, cum exposuissent, quod ex Athanasio percepissent, quemadmodum Romam venire recusaret; Liberius Papa ad Orientales Episcopos in hunc modum rescripsit.

*Secutus denique litteras charitatis Vestrae, quas de nomine dicti Athanasii ad nos dedistis, sciatis his litteris, quas ad unanimitatem vestram dedi, me cum omnibus vobis & cum universis Episcopis Ecclesiae Catholicae pacem habere: supradictum autem Athanasium alienum esse à communione mea, sive Ecclesiae Romanae, & à consortio litterarum Ecclesiasticarum.*

Quandoquidem ex harum litterarum tenore manifestum sit, quis Liberii Pontificis in Athanasium fuerit animus: atque hujus viri sanctissimi condemnatio propemodum sit fidei Catholicae abrenuntiatio, Cardinalis Baronius, Elias Du Pin. & alii quidem non infimæ notæ Critici contra Blondellum & Hermantium negant hanc Epistolam esse genuinam: sed volunt Sancti Hilarii, quæ extant, fragmentis assutam; legationemque fictitiam; idque ob has potissimum rationes.

I. S. Athanasius hujus excommunicationis ante Liberii exilium nunquam meminisse

& quod Pontificem illum hucusque faventem sibi habuerit, ex ipsius fidæ historiæ serie compertum est. Quin idem Papa epistola, non quidem ad Luciferum, ut Du Pino in mentem venit, sed ad Constantium Imperatorem missa fateretur, quod litteras accusationis Orientalium Episcoporum nequaquam suppresserit, quemadmodum hi conquesti fuerant: sed in Concilio prælegi jussit, iidemquæ responderit. *Quis tamen fidem & sententiam nostram non commodavimus, inquit, eo quod à septuaginta quinque Episcoporum Ægyptiacorum congregatione commendationes etiam accepisset.* Atqui veri speciem non habet, quod Orientales Episcopi conquesti fuissent, suas epistolas Liberio missas, silentio obrutas, si ille tres presbyteros ad Athanasium misisset, ac, revente eodem Præsule, scripsisset universis per Orientem constitutis Episcopis, se cum iis communicare.

II. Hanc excommunicationem utique Constantii Imperatoris ad Pontificem Legati huic oggessissent; cum eundem ad condemnationem Athanasii inducere deberent. Et si etiam, quod prætenditur, omni studio occultata fuissent hæ litteræ; quomodo Liberius Athanasio aperte adhæssisset? Certè quando condemnationi postea publicè subscripsit; cum nulla foret diutiùs hanc occultandi ratio, eadem publicata fuissent. Attamen contrarium liquet ex verbis istiusmet Pontificis in memorata subscriptione, dum legitur. *Quoniam Julius Beata memoriæ prædecessor meus Athanasium in sui communionem receperat, verebar ne prævaricato existimarer, si eum condemnassem. Ast ut in primis intellexi, quod vos eum justè condemnaveritis, vestrum sequor iudicium.* Falsum itaque apparet, quod initio sui Pontificatus, nulla habita ratione Julii, aut Concilii Sardicenis, Liberius Athanasium, quem credebatur innocentem, condemnaverit. In contrarium ex veterum monumentis refertur,

quod Papa ad Athanasium litteras communicationis dederit, & tam Orientalium accusationes, quàm Ægyptiorum commendationes in Synodo à se congregata publicaverit; ubi conclusum, Athanasii contumendam esse excommunicationem, quam Occidentales introduxerant.

Neque intermisisset hanc cum Arianis concordiam & Athanasii excommunicationem ipsemet Imp. Constantius in argumentum adducere; quando postea fuit Liberio persuadere conatus, ut Athanasii communionem abjiceret: quod, cum ab illo adductum non sit; colligere licet, Liberium nunquam cum Orientalibus illam concordiam antea iniisse, neque ad Athanasium aut presbyteros aut litteras citatorias misisse: quod quid hoc fortè evenerit, postquam Pontifex ex exilio Romam reversus fuit; quando & questionis epistola exarata fuisset.

Contigit deinde, ut, dum Imperator contra Athanasium Arelati Synodum Episcoporum, maximè Arianorum, celebrari fecisset; Liberius Vincentium Episcopum Capuanum, Marcellum Episcopum in Campania Legatos suos illuc destinaret, iisque injungeret, ut Synodum Aquilæ celebrandum ab Imperatore postularent; quam, cum nulla arte obtinere potuissent, ibidem substituerunt. Interea ab eodem Constantio, ut refert Sulpitius *Lib. 2. Histor.* Edictum proponitur, ut qui in damnationem Athanasii non subscriberent, in exilium mox pellerentur. Quo demum in exilium relegatus magnus ille Patelinus, Trevirensis Archi-Episcopus, E contra in dissimulationem inciderunt, sicut Liberius & Hilarius loquuntur, tum Vincentius & Marcellus, tum alii Episcopi, qui timore hujus gravissimi mali, subscriperunt. Fuerat Vincentius vir magnanimus, ac robustissimus veritatis assertor, qui in Synodo Nicæna Legatus Sylvestri Papæ exierat, & strenuè Athanasii innocentiam probaverat. Inopinatus lapsus illius adeo vehementer Liberium

berium afflixerat, ut in epistola ad Osum contestatus sit, moriendum magis pro Deo decrevisse, ne videretur novissimus delator existens.

*Lucan. 9.*

*Ille Deo plenus, tacita quas mente gerebat,  
Effudit dignas adytis è pectore voces.*

Ut verò causæ, nimium vulneratæ, qualecunque remedium applicaret, Luciferum Episcopum Calaguritanum, Pancratium presbyterum ac Hilarium Diaconum cum Epistolis ad Imperatorem ablegavit, in quibus recenseret, quæ suo tempore in Athanasii negotio evenerant; rogans illud ad expeditionem in Synodo libera tractari. Annuit iustissimis postularis Imperator; fueruntque initio anni Christiani 355. Mediolani, ubi Imperator degebat, ex Oriente pauci Episcopi, ex Occidente ultra 300. Hujus Synodi successus, cum Pontificis expectationi minimè correspondisset, afflicto afflictionem addidit. Immo mali remedium ipso malo pejus fuit; quando vigore Decreti fuere omnes Orthodoxi Episcopi in exilium relegati, inter quos memoratus Lucifer, Eusebius Vercellensis, & Dionysius Mediolanensis. Hic pro fide zelosissimus sed vir simplex, ab Arianis circumventus, condemnationi subscripserat; ratus id ad fidei professionem non spectare. Sed postea poenitens ab Eusebio ingeniosissime liberatus, dum ipse renueret nomen suum apponere post Dionysium; quare Arianis illud expunxerunt, ut Senior prius subscribere posset. Sed Eusebius tunc detrectavit calculo suo innocentem condemnate. Ad hos duos Liberius deinde egregiam scripsit Epistolam.

Quandoquidem verò Imperator adverteret, sibi deesse Pontificis ratihabitionem; ut Athanasium à communionem fidelium redderet alienum, quendam Eunuchum Romam misit, eum in finem, ut à Liberio hanc ratifi-

cationem extorqueret; qui, cum neque donis, neque miis Papam inflectere potuisset, cujus.

*3. Georgie.*

*Non umbra aliorum nemorum: non mollia possent  
Prata movere animum.*

Imperatorem contra ipsum instigavit. Quare, hic vehementissimè indignatus, gubernatori Urbis mandavit, ut Liberium cautè Mediolanum abducatur. Mox iste ægrè, ut scribit Amianus Marcellinus *Lib. 15. c. 7.* populi metu, qui ejus amore flagrabat, & cum magna difficultate noctis medio, asportatus cum Mediolani appulisset, insigni profusus animi constantia intrepidè præfens repetivit, quæ absens intromiserat, ut legere est apud Theodoretum *Lib. 2. cap. 16.* Post concessum verò triduum, ut deliberaret, quia ad condemnationem Athanasii Pontifex nullis machinationibus potuerat adduci, Beroom, quæ Thraciæ urbs est, exul relegatur. Permisit deinde Constantius, ut Episcopi Ariani convenirent Syrmii: ubi, cum de fide tractaretur, hanc statuere blasphemam assertionem. *Nulli potest dubium esse Patrem honore, dignitate, claritate, majestate, & ipso nomine Patris majorem esse.* Interea biennium ferè egerat Liberius in durissimo exilio, qui omni humano solatio & auxilio destitutus; præter illud, quod in Urbico Diacono, exilii comite, reperiebat (hoc tamen etiam per Venerum Commissarium privatus) inter gravissimas calamitates, ipsam mortem sibi minitatum, ut Athanasius *ad Solitar.* perhibet, plus æquo metuebat.

*Claud. de bello Goth.*

*Sed malus interpretarum, metus omne trahabat*

*Augurium, pejore vita.*

Cumquè animo pervolveret, qua tandem via ex his ærumnis sese erueret, Demophilis, E-

li, Episcopi Beroomenfis suasionē, hæreticæ Syrmensis Confessioni subscripsisse fertur. Quod demum venit suis examinandum ponderibus.

Cardinalis Baronius, Natalis Alexander, Hermantius, ac alii nonnulli ab hac calumnia, ut volunt, vindicandum dicunt Pontificem. Quidam autumant, quod Confessione à Concilio Syrmensi edita exul Pontifex subscripserit, in quo Phorinus fuit damnatus; quia adhærebat hæresi Sabellii & Pauli Samosatani. Atque hanc formulam amplissimam, quæ ab Ariano Syrmii in Pannonia Anno 351. præsentate Imperatore, Græcè confecta fuerat, sensum orthodoxum recipere opinatur Baronius, eumque illi attribuisse Sanctus Hilarius nisus fuit: quanquam in ipsa non asseratur, Filium esse Patri consubstantialem, neque Substantiâ similem. De qua videtur intelligendus Liberius epist. 7. dum scribit. *Dominus meus est frater communis Demophilus, qui dignatus est pro sua benevolentia fidem veram & Catholicam exponere, qua Syrmii à pluribus fratribus & Co-Episcopis nostris tractata, exposita & suscepta est. Hanc ego libenti animo suscepi.* Altera formula Latine fuit edita, in qua prohibetur de Consubstantialitate & similitudine Filii tractari, fuit tamen manifestè hæretica; quia in illa præcipitur, ut omnes confiteantur. *Patrem Filio honore, dignitate, Deitate & ipso nomine paterno esse majorem.* Huic Liberio subscripsisse sentiunt Authores infra citandi. Vix autem ea fuerat evulgata, quando Episcopi Ariani, existimantes se nimium Dei Filio concessisse, conabantur illam supprimere; fortè quod Filius fuisset dictus. Deus ex Deo, Lumen de Lumine. Hæc Leguntur apud Socratem Lib. 2. cap. 30. scribentem. *Sciendum tamen, quoniam in Syrmio convenientes Episcopi pœnitentiâ ducti sunt de expositione fidei Latina Linguâ prolata. Contradictionem namque sibi contrariam judicabant, quam studuerunt Episcopis,*

*qui eandem susceperunt & subscripserant reddi, quoniam colabatur interpretatio. Imperator autem edictis queri præcepit editionem ipsam, supplicium minatus, si quæ eam habere comperiretur. Sed ne quæreretur, destruere poterat; quod semel fuerat instructum, eo quod apud multos haberetur. Eadem perhibet Sozomenus Lib. 4. cap. 1. qui tertia insuper formulæ cujusdam meminit Linguâ Latinâ conscriptæ, sensu cum aliis formulis, jam olim editis penitus convenientis, præterquam quod SUBSTANTIAE nomen sublatur. Proinde si huic Pontifex subscripsit, ab omni labe hæresis excusari aliquatenus potuit; à qua equidem ipsum videntur reddere immunem sequentia.*

I. Severus Sulpitius Lib. 2. Hist. Sacr. Socrates loc. cit. Sozomenus Lib. 4. cap. 10. Theodoretus Lib. 10. cap. 7. Nicephorus Lib. 9. cap. 37. uniformiter testantur Liberium Papam semper eundem, semper integrum fuisse ac constantem, nihil unquam de fidei firmitate remisisse. Hoc autem falsum foret, si vulgatæ formulæ hæreticæ subscripsisset. Deinde Rufinus presbyter Lib. 10. cap. 27. fatetur, post sedulam inquisitionem non potuisse certè deprehendere ex Antiquorum scriptis, an Pontifex ille Imperatoris voluntati morem gesserit, & Arianae factioni subscripserit. Non potuisset autem subterfugisse Rufini presbyteri solertiam, qui paucis admodum post Liberium annis, tum Jerosolymis, tum Romæ mortuus fuit, hujus viri lapsus tam enormis & famosus. Itaque omnino præsumere oportet, quod in fidei professione, etiam exterius, firmiter perstiterit. Imò Nicephorus loco supra citato cap. 14. post Sozomenum prodit Liberium Pontificem, non modo non subscripsisse Confessione Arianae; Sed etiam Syrmii Confessionem evulgasse, vigore cujus communicabat eos omnes, qui Filium Patri in substantia dissimilem asserabant. Atque alii etiam Authores perhibent, Liberium, pa-

ce cum Arianis inita, nil aliud egisse, quam ut subscriberet Syrmienti confessioni, editæ contra Photinum, quæ prima fuit.

II. Sanctus Hilarius Episcopus Pictaviensis, qui multas ab Arianis sustinuit injurias, ab Hieronymo dictus, Latinæ eloquentiæ Rhodanus, quem inoffenso quis decurret pede, litteris mandavit Liberium Pontificem Romanum subscripsisse formulæ illi, quæ per Episcopum Ancyranum Basilium, nec non alios Episcopos, potissimum Orientales fuerat composita. Hæc autem haud dubiè fuit orthodoxa. Deinde idem Pontifex ab exilio, nonnisi post Concilium Ancyranum fuit reversus. In eo autem Concilio Episcopi Orientales convenerant, quatenus hæreticam formulam, Syrmii fabricatam exploderent, quemadmodum allegati Historici advertunt. Igitur destituitur veri speciei, quod iidem Episcopi Orientales hanc Liberio subscribendam obtulerint: quin potius tertia Syrmii formula edita Papæ exuli oblata fuisse videtur, de qua citatus perhibet Sozomenus, quod cum aliis formulis, jam olim editis, penitus consenserit: quæquæ in Concilio Arimineni exhibita à potiori parte Episcoporum subfignata fuit.

III. Liberius post mortem suam Sanctitatis titulo est decoratus, qui à S. Ambrosio *Lib. 3. de Virginit.* Beatæ memoriæ Episcopus, à S. Epiphano *Hæres. 75.* Beatus, à S. Basilio Magno *epist. 74.* Beatissimus, à Theodoro *Lib. 2. cap. 17.* Propugnator & victor veritatis, optimus, admirabilis, à Syricio Papa Venerandæ memoriæ prædecessor appellatus fuit. Quin & ipse Hieronymus in Martyrologio titulum Sancti eidem Liberio tribuit. Ejus quoque extat memoria in Martyrologiis Bedæ, Ustuardi, Wandalberti, nec non in Specilegio Lucae D' Acherii, item in Menais Græcorum ad diem 27. Augusti recenseatur. Quæ cum se ita habeant, inconcussa equidem manet Hipponensis Præsulis sententia. *Qui dixerit justum injustum, &*

*injustum justum abominabilis est uterque apud Deum. Similiter qui Sanctum dicit non Sanctum; & rursus non Sanctum asserit Sanctum, abominabilis est apud Deum.*

Quod Liberius Pontifex Romanus formulæ Conciliabuli Syrmientis prorsus hæreticæ subscripserit, sentiunt Jacobus Fabri, Petavius, Du Pinus, Lud. Maimbourgus &c. quorum sententiam Bellarminus *tom. 1. Lib. 5. cap. 9.* veriorem putat. Hæc nititur fundamentis sequentibus.

I. S. Athanasius *Epist. ad Solit.* S. Hieronymus *in Chron.* apertè scribunt, quod Liberius tædio exilii flexus fractusque Hæresi tandem subscripserit. Idem videtur insinuare S. Hilarius *Arelat. Lib. advers. Constantium* quando zelo religionis Liberium dicit Apostatam & perfidiæ Arianae fautorem, eumque execrat atque anathematizat. *Præterea legi ipsemet (verba sunt Bellarmini loc. cit.) Liberii epistolas manuscriptas in Bibliotheca Vaticana, quæ partim ad Imperatorem Constantium, partim ad Episcopos Orientales erant scriptæ, in quibus satis apertè significabat, se tandem Imperatoris voluntati acquiescere voluisse.*

Ad hæc tamen Authores pro prima opinione allegati reponunt; voluntatem Imperatoris in eo positam fuisse quam maximè, ut Athanasius, tot accusationibus gravatus à Liberio condemnaretur: quod exponit Marcellinus *Lib. 15. cap. 7.* Athanasium per subscriptionem abjicere sede sacerdotali, paria sentiens ceteris, jubente Principe, monitus perseveranter nitetur; nec visum hominem, nec auditum damnare nefas ultimum sæpè exclamans, apertè scilicet recalcitrans Imperatoris arbitrio. Id enim ille, Athanasio licet semper infestus, licet sciret impletum, tamen autoritate quoque, qua potiores æterna Urbis Episcopi firmari desiderio nitentur ardenti: quo non impetrato, Liberius aggrè, populi metu, qui ejus amore flagrabat, cum magna difficultate, noctis medio, potuit aspor-

tari. Itaque cum Imperatori morem gessisset, & tandem condemnationi S. Athanasii Liberius subscripsisset, cum hæreticis communicasse visus, ab Hilario, aliisque Patribus ut hæreticus traducitur. Ita illi.

Verum enim vero, dum Ariani sanctum prosequerentur Athanasium causâ fidei (quanquam non causam fidei: sed crimina impacta, vera obtenderent.) Athanasii condemnatio censetur fidei relegatio.

Scripterat Pontifex ad Orientales Episcopos, quod Athanasii condemnationem ratam haberet; quodque confessionem fidei, in Concilio Syrmensi editam reciperet, utique formulam, quam ipsimet Orientales amplexabantur. Epistolæ tenor hic est. *Ego Athanasium non defendo: sed quia suscepit illum bona memoria Julius Episcopus decessor meus, verebar ne forte ab aliquo pravaricator iudicaret: at ubi cognovi, quando Deo placuit, iuste vos illum condemnasse, mox consensum meum indicavi sententius vestris. Litteras adeoque super nomine eius, id est damnatione ipsius, per fratrem nostrum Fortunantium dedi perferendas ad Imperatorem nostrum Constantium. Itaque amoto Athanasio, super qua statuta omnium vestrum à me cum Sede Apostolica suscipienda sunt, dico me eum omnibus vobis, & cum universis Episcopis Orientalibus super universas provincias pacem & unitatem habere.* Baronius quidem excipit, ut supra, ea non esse Liberii: sed à quodam temerario Collectore epistolæ Liberii inserta. Verum ea exceptione nihil est, quod eludi non possit; si soli conjecturæ innitatur. Demophilus Arianus erat, affecla Ursacii & Valentis, qui formulam Syrmensem tuebantur; ergo hanc exhibuit, & suavit Liberio subscriendam: præsertim quia Eudoxius & Aetius, Arianae perfidiæ propugnatores, tumorem diffuderant Pontificem Romanum suæ adhærere opinioni. Quin ipse Liberius, quid egerit, Ursatio & Valenti in epistola intimavit his verbis. *Cognoscat pru-*

*dentia vestra Athanasium, qui Alexandria Ecclesia Episcopus fuit, priusquam ad constantiam S. Imperatoris pervenissem, secundum litteras Orientalium Episcoporum, ab Ecclesia Romana separatam esse Communionem, sicut testis est omne presbyterium Romanum. Et ut cuiquam relinquatur aliter sentiendi libertas, quati Liberius in sola Athanasii condemnatione & Arianorum familiaritate steterit, Hieronymus legendus Lib. de vir. illust. ubi scribit. Fortunatus Afer, Aquilensis Episcopus in hoc habetur detestabilis, quod Liberium, Romana Urbis Episcopum, pro fide ad exilium pergentem, primus sollicitavit ac fregit, & ad subscriptionem hæresis compulsi. Hoc testimonio irrefragabili Nat. Alexandri, aliorumque præcluditur evasio, quod velint Liberium duntaxat subscripsisse confessioni Syrmensis Concilii, in quo Photinus est damnatus: & in quo, ut ipse Liberius supra fatetur, vera & Catholica fides tractata, exposita & suscepta fuit. Virum eruditissimum in eo hallucinatam confirmari poterit ex Hilario de Synod. qui perfidiam vocat eam confessionem, cui Liberius subscripsit. Perfidiam autem (loquitur Hilarius) quam Syrmium descripsit, quam dicit Liberius Catholicam, à Demophilo sibi expositam, hi sunt, qui subscripserunt. Deinde idem Præsul advers. Constant. in hunc acerbè invehitur, quod à Liberio hanc subscriptionem extorserit. *Vertisti, inquit, usque ad Romanam bellum tuum, eripuisti inde Episcopum. & o te Miserum! qui nescio, utrum maiora impietate relegaveris, quam remisisti. Ea, quæ in remissione impietas erat, fuit quod non nisi post subscriptionem hæreticæ formulæ Pontifex remissus fuerit ad Sedem suam.**

III. Nisi fateamur Liberium aliquo tempore defecisse à constantia tuendæ fidei, quod non aliter, quam subscriptione formulæ hæreticæ factum est, cogimur Felicem II. qui Liberio vivente Pontificatum gessit, è numero Pontifi-

Pontificum excludere : cum tamen hunc ipsum Felicem & Papam, & Martyrem Ecclesia veneretur Catholica. Hoc est Bellarmini *Loc. cit.* argumentum; cui, quid virum inest, patebit in Controversia sequenti. Superiora autem in Liberii defensionem producta videntur labefactari posse his responsionibus.

Ad Primum Respondetur. Sarta tecta maneat testimonia Sulpitii, Socratis aliorumque de Liberio, quem semper eundem dicunt, illo sensu, quo Catholicum semper voluit fuisse; etiam dum in virtus, actu duraxat externo, Arianismum fuit professus, subscribendo formulæ hæreticæ. Atque ideo Constantius, gnarus, quanta Liberius suæ constantiæ hac in re præstitisset documenta; huiusmodi dissimulatione mox flecti non potuit, ut reditum in urbem permitteret. Quid autem præcipue virum fortem in hanc dissimulationem adegerit, non una omnium est sententia. Mortis metam obtendit S. Athanasius *loc. cit.* quod amici est. Severius in *Annal.* contra eum procedit Baronius, dum scribit, quod Zelotypia, & laudis humanæ appetentia ea egerit in Liberio, quæ Dalila in Samfone. Verius forsitan ac congruentius dicitur, quod exilii calamitates gravissimæ; morte ipsa, omnium miseriarum termino, duriores compulerint virum effractum viribus, ut approbaret, quod improbandum conscientia dictabat. Porro ex iis, quæ secundo loco pro Liberii defensione adducuntur, sufficienter enervantur. Fuit nempe Basilus Ancyranus Semi-Arianorum hæresis Præses, idemque Arymanitidis hæresis Princeps, ut eum vocat Epiphanius *hæres. 73.* Ancyrana quoque Confessio Semi-ariana fuit; in qua Filius Patri quidem similis, non tamen ejusdem naturæ decernitur.

Ad Tertium Respondetur, Quod Poëta quidam apud Xenophotem *cap. 9. lib. 1. memorabil.* Socratis dixit

*Vir bonus interdum malè, mox bene se gerit idem.*

Fuit quidem Liberius, ut primus Pontificum Petrus, lapsus, quod hominis est; non tamen reliquo vitæ suæ tempore victus jacuisse censendus est. Etenim.

*Virgil supra.*

*Quondam etiam victis redit in precordia virtus.*

Sed ingentibus accensæ charitatis studiis ac pœnitentiæ lachrymis, nec non ardentissimo pro Ecclesia Dei zelo imbutus, hæreticorum perversis machinationibus strenuissime obstitit: quando, exorta alta rursus tempestate ex priore lapsu fortior effectus pro fide ac religione acerbissima sustinuit; animo prorsus invicto: ac reliquum vitæ secundum Dei beneplacitum laudabiliter transigens obdormivit in Domino. Merito itaque laudatur & colitur. Merito etiam fides detrahitur Actis Eusebii presbyteri à Mombratio & Baluzio editis, in quibus refertur, quod Liberius redux Arianam hæresin non modo fovērit: sed etiam resistentes Arianis clericos, inter quos ille Eusebius, durissimè persecutus sit.

In hac Controversia tam celebri, quàm difficili, si Lector iudicium firmum statuere aut non poterit, aut noluerit, prudenter illud cum prudentibus suspendet; habeatque locum hic illud Aristotelicum *lib. de prædicatione. Dubitare de singulis non est inutile: si nulla de iis certitudo obtineri possit.* Præsertim cum ex dictis, in utramque partem ventilatis, incertum maneat, an Pontifex formulæ fidei subscripserit: id quod illorum temporum vicinus Rufinus citatus non constare profitetur hisce verbis. *Liberius, Urbis Roma Episcopus, Constantio vivente, regressus est: sed utrum quod acquirerit volun-*

*luntati sua adscribendum, an ad populi Romani gratiam, a quo proficiscens fuerat exortus, indulserit, pro certo compertum non habeo. Hoc ultimum clarè tradit Theodoretus. Lib. 2. cap. 17. Laudabiles nempe matronas ad Imperatorem pretiosissimis vestibus ornatas, suorum sualio virorum, accessisse; & ut misereri vellet urbis spoliatae pastore. Itaque flecti se passus est, iussitque optimum Liberium de exilio revocari.*

Quin hucusque exploratum minimè est, cui demum formulæ Liberius subscripserit. An omnes sint Arianæ hæreseos fuligine obfuscatæ, an in uno vel pluribus Conciliis confectæ, diversa est opinio multorum. Si omnes hæresin sapuerint, ut de duabus (plures alii non recensent) liquet apud Sozomenum, quibus Filius declaratur Patre minor, perinde erit, cui Liberius manum suam suppone- rit; nisi quis cum Petavio dicere maluerit, medietatem tantum approbasse: cætera verò ab Arianis fraudulentè adjecta, ut mundo persuaderent, sua etiam à Pontifice Romano approbata fuisse dogmata. Sed & ipsæ formulæ in multis neque ipsæ sibi, neque formulis ante compositis vel verbis, vel sen-

su consentiebant, teste citato Sozomeno, qui, ut & Socrates, aliqùè unius tantum Synodi Syrtensis meminerunt; non defuit tamen, qui tres celebratas, primam scilicet anno 351. secundam post annos 6. tertiam anno 358. asserant. Quod si nihilominus in hoc litigio suum de Romani Pontificis Liberii vel lapsu vel innocentia vellet quis formare iudicium; habeat sibi præfixum maximi Oratoris verissimum Lib. 1. de nar. Deor. pronuntiatum. *Nihil est temeritate turpius: nec quicquam tam indignum sapientis gravitate & constantia, quàm aut falsum sentire, aut quod non satis explorare perceptum sit, & cognitum: sine ulla dubitatione defendere.*

